Q. D. B. V.

DISSERTATIO MEDICA
De
HYDRO-PHOBIA,

Qvam

INDULTU GRATIOS. FACULTATIS MEDICÆ

IN ILLUSTRI AD ALBIM ACADEMIA,

SUB PRÆSIDIO

VIRI NOBILISSIMI, EXCELLENTISS. AC EXPERIENTISSIMI,

DN. JEREMIÆ LOSSII,

Philoſoph. & Medicin. Doctoris celeberrimi, Anatomiæ & Botanic. P. P. famigeratiſs. Medic. Provincial. Feliciſſimi.

DN. Patroni, Fautoris ac Præceptoris ſui omni obſervantiæ cultu ætatem ſuſpiciendi,

Publicæ diſqviſitioni ſubjiciet

AUTOR & RESPOND.

GEORGIUS FRIDERICUS Rautzendorff

Nimec. Sileſius.

In Auditorio Medico

Ad diem XII. April. horis antimeridianis Anno M. DC. LXXXII.

WITTEBERGÆ, LITERIS BRÜNINGIANIS.

PRÆFATIO.

NUllus mortalium magis humanas ſecum commentari poteſt miſerias, qvàm Medicus, qui quàm arctis vita noſtra circumſcripta ſit terminis, quotidiè experitur. Hinc ille non admiratur inopinatos novercantis fortunæ caſus, tanquam inſuperabiles, qvibus curſus multorum hominum ante diem intercipitur, ut in nuperrimà infelici Inundatione contigit, vel quando ex improviſo, aliorum injuriâ, violentâ manu mors acceleratur; Subtiliores enim quotidiè animum ejus exercent cogitationes, quando levia, qvæ morbos præcedunt, conſiderat initia, â plerisq; neglecta, quæ tamen properante pede mors ſubſequitur. Mittam alia, & morſus tantùm attingam, quos nunquam ſine Veneni ſuſpicione, propter Symptomatum gravitatem, & dolorum acerbitatem, judico. Exordiar ab omnium animalium Principe & Dynaſtâ, Homine; hujus leviſſima digiti annularis morſiuncula, ex iracundia inconſideratius inflicta, atrociſſimos cruciatus, & tandem detruncatâ manu poſt exiguum temporis ſpatium, finem vitæ feciſſe, in recenti adhuc hæret memoria. Qvod ſi itaq; Mariti morſus tantos excitat dolores, minus mirabimur brutorum morſuum ſupervenientia Symptomata. Memorabile MAGNIFIC. DN. D. MICH. SENNERTUS. Exemplum retulit, de Pharmacopæo Paduano, qvi in conficiendâ theriacâ occupatus, demonſtraturus Spectatoribus Veneni in viperis abſentiam

innocuè

innocuè manu eandem tractavit, tandemq; caput abſcidit, ſed amputatum caput dum tetigit, ultimo morſu in Pharmacopœi digitum, ultionem exercuit, qui terrore percusſus, paucis finitis diebus humanitatem explevit. Ne autem varia enarrando, deforme diſſertationi huic caput, toto corpore majus præmittam, Unicum adhuc ex rabidi canis morſu plerumqve ſuperveniens, & mirabile ſatis Symptoma HYDROPHOBIAM, ulteriori indagatione dignum judicavi, quantum tamen debilis ingenii permiſere vires. Hic affectus inter periculoſisſimos, ab omnibus numeratur Medicis, & tantò gravior exiſtit, quantò leviora, ex qvibus generatur, ſunt primordia, niſi tamen in prima ſuffocetur herba, eundo vires acqvirit, donec ſtructuram corporis, Nobis non cogitantibus, mirabili modo deſtruat, & neglectum morte puniat. A Tua verò, Lector benivole, humanitate contendo, ut ea, qvæ ſententiæ tuæ contraria, vel etiam à veritate aberrata credas, ingenii imbecillitati attribuas, nec, dente Theonino arrodendo, malum adaugeas.

THES. I.

GRavis & intricatus *Hydrophobiæ* affectus, clarior atq; perſpicacior proponitur, ſi ordine debitô rem aggredimur. Qvapropter conſvetâ hactenus methodo, ante omnia tribus, ut dicitur, verbis, vocabuli *Etymon* erit expendendum. *Græcis* verò Natales ſuos debet, quanqvam noſtro tempore Latinitate donatum ſit, & derivatur â nomine ὕδωϱ *aqua*, quod deſcendit ex ὕω *pluo*, & φοβὸς *fuga*, qvoniam morbô hôcce correpti, aqvam timere compertum eſt. Aliàs & *Inſanies canina* audit, *Rabies* ex morſu canis rabidi, *morſus lymphaticus*; Græçorum quidam *hygrophobiam*, *hygrobdeligma*, *hygro-*

hygromiſon &c. appellare malunt, qvia non aqvam tantùm, ſed omnia limpida averſari creduntur. *Garioponius* Medicus antiqvus Lib. 5. c. 7. vocavit hunc affectum *hydrophonam*, & ſic affectos *hydrophonicos*. In genere nominatur *Rabies*, qvæ vox canibus propriè competit, non inconcinnè verò ad homines, illorum qvandoqve mores exprimentes, translata eſt. Sic legitur apud *Cicer. animi rabies* pro *fortiori* quadam *ira*; cum qvo coincidit illud *Menilii*: Corda micant, & lingva rabit; & elegantisſimus in ſimili ſignificatu apud *Senecam* locus: *Videbis eosdem intra exiguum tempus acerrimè ridere & rabere.* Non incongruè itaq; huic tribuitur affectui, cum eodem correpta cuncta animalia qvaſi irata, lethifero furore obvios factos invadant, & Venenatis ſuis dentibus vim inferant. Huc reſpexiſſe videtur *Plautus*, dum in *Captiv. Act. 3. Scen. 4. dicit*:

Hegio hic homo rabioſus habitus eſt in Aulide
Nec tu, quod iſthic fabuletur, aures immittas tuas,
Nam iſtic haſtis inſectatus eſt domi matrem & Patrem
Et illic iſti, qui ſputatur morbus interdum venit.

illud Rabiei vocabulum placuit etiam *Galeno*, qvem in hunc usq; diem ſubſecuti ſunt plurimi. Qvòd inſuper Rabies pro *nimio edendi deſiderio*, nonnunqvam etiam de *Amore* dicatur in Poetarum ſcriptis, hinc inde videre eſt. Nobis hiſce logomachiis diutius inhærere non lubet, cùm propriè ad noſtrum forum non ſpectent. Nemo autem miretur nobis potius arriſiſſe hydrophobiæ vocabulum, ut enim conſenſum Autorum taceam, nihil obſtabit, qvò minùs latiùs hanc vocem extendam, & ad id, qvod eſt potisſimùm, reſpectum habeam; hoc enim tanqvam præcipuam Symptoma nominando, totius affectus naturam ex primo.

§. II.

Hydrophobia itaque eſt affectio maniaca, qvâ correptis, irrationabilis aqvæ & limpidorum omnium metus & averſatio incutitur, ut peculiariter circa hoc objectum,

 cum

cum furore delirent, orta â fermento animalis radibi, certis ideis ſigillato, & hominibus plerumqve morſu, aut aliô quandoqve modô, communicatô. Placet *genus* ſive rationem formalem hujus Symptomatis nominare *Delirium* & qvidem *Maniacum*, qvoniam adeſt Principum Virtutum depravatio, ſine febre cum furore tamen conjuncto. Veteres enim & Recentiores affectiones haſce delirii titulo attribuerunt. Licet enim non ſtatim ſub initio, inflictô â cane vulnere, accedat delirium gravius, (quod ſæpius tamen obſervatum fuit) ſed ſaltim adſit anxietas præcordiorum, mœror, triſtitia & abſtinentia â potu, ſeneſcente tamen malo, notabilis ſupervenit depravatio. Læditur *Imaginatio*, dum ▽m appetunt, ſed eâdem oblatâ, ſub deformi aliqvâ ſpecie eanem imaginantur & fugiunt. Depravatur *Ratio* interdum per ſe, interdum per accidens, dum pravis imaginationibus, prout â læsâ Phantaſiâ repræſentantur, adſentitur: Diminuitur deniq; & *Memoria*, quatenus innumeris objectis retinendis non eſt ſufficiens. Sed interdum Memoria, interdum Ratiocinatio plus minusvé afficiuntur, ut ſæpè omnium obliviſcantur, & quosvis, ſæpè autem cum delectu, Matri parcendo, aliqvos ſaltem invadant. Sunt enim *certi* deliriorum *gradus*, quos *Hippocrates* diverſis in locis annotavit, & â Nob. Dn. *D. Sennerto Lib. 1. Prax. Part. 2. c. IV. p. m. 318.* recenſentur. *Borellus c. 1. Obſerv. 74:* aliiq; plures diſtingvunt inter *gravius* & *mitius*. Omnium elegantisſimè hanc rem dilucidavit *Mercurial. de Hydrophobia c. 1. p. 47.* dum dicit: *Licet quidam timeant ▽m, ut ſæpè fieri conſvevit, niſi tamen hoc fiat cum delirio non eſſe hanc affectionem dicendam hydrophobiam.* Paucis plurium complectar ſententias. Veteres omnes Symptoma illud ad læſas *actiones Facultatum principum*, ſi non planè abolitas, imminutas certè vel depravatas retulerunt. Recentiores autem ad *Archeum* vario modo affectum reſpiciunt, quibus etiam per *Jdeas* rem expedire placet. Qvidam per Spirituum animalium diverſum motum & ſtatum totum negotium abſolvi poſſe putant. Qvibus poſterioribus, inter ſe & cum Veteribus conciliatis, & Nos quoq; calculum adjicimus; quô enim modò negotium illud abſq; Archei vel ſuum incommodo & Jdearum Doctrina commodè abſolvi qveat, non video. Siqvidem harum, in Archeo vel Memoria ſervatarum, quotiescunque poſtmodum â cauſa occaſionali eruuntur veſtigia,

menti

menti repræſentantur, & vel appetentiam vel averſationem alicujus rei pariunt. Cùm itaque Hydrophobi, aquam quidem appetant, mox verò ſub abominabili aliquâ ſpecie fugiant, ad hujus demonſtrationem meritò requiruntur. Ex mente *Carteſianorum* fit *ſubita* illa *appetitus mutatio* pro variâ glandulæ piniformis inclinatione. Scimus enim ex Anatomicis in ſuperiori parte planè eſſe liberam, in inferiori verò ſive baſi fibris certis motricibus præditam. Quando itaq; ob caloris præſentiam humor in ſtatu nat. gulam & alias partes adjacentes humectans & refrigerans nimis attenuatur, ut forma aeris aut vaporis, ad caput aſcendat, nervos perpetuò vellicat, tunc Phantaſia triſtem hanc ſenſationem percipiens, menti in ſede ſuâ repræſentat, & ▽m aut alia liqvida in ſolatium appetit. Et ſic immortalis ille Director, qvi cuncta vitæ munia, ope ♌uum per agit, eosdem ablegat, ut ideam ſive imaginem, qvam ſibi utilem cognoſcit, teneant *&* ſic potus fit deſiderium. Inter varios autem hinc inde diſcurſus, cùm maximâ ex parte jugum excuſſerint, inordinato ſuo motu, ad aliqvam Ideam ſive furoris, ſ. ultionis, ſive alio modo ipſis inviſam facilè impingunt, exinde fit, ut Ideam priorem qvanqvam gratam, iterum dimittant, & contra hanc inſurgant, hinc deſiderium potus iterum perit, atqve ceſſat. Idem contingit, ubi ▽ oblatâ, atrocem atqve horrendam in eadem imaginem vident, & ad primum intuitum timore corripiuntur, & in fugam ſe recipiunt, & ſic limpida averſantur. *Hæc ad mentem Carteſianorum*; Qvôd ſi autem *delirii* naturam, *Veteres cum Recentioribus conciliando* explicare vellem, dixerim, qvod Phantaſia à qvibusdam objectis, etiam ſana, interdum valdè turbetur: qvemadmodum novimus, plures homines araneas, mures, & canes iratos abhorrere, propterea qvod interdum in ſomno Phantaſiæ offeruntur earundem Ideæ, qvæ horrorem incutiunt, prout plura Exempla novit Excell. Dn. Præſes. Multò magis itaqve perturbabitur Phantaſia, ſi Ideæ canis rabidi in Archeo formatæ, eumqve furibundum reddentes, offeruntur perpetuò; tunc enim terrorem incutientes, eandem non ſolùm turbant, ut rectè agere neqveat, ſed ipſa Ratiocinatio qvoqve turbatur: qvemadmodum novimus, ſanos qvosdam viſo mure trepidare, etiamſi Ratio dicat, qvòd hoc animalculum lædere neqveat. Si itaqve ſemper tales ideæ inviſæ offeruntur, fieri aliter non poteſt, qvin tandem penitus Ratiocinatio, evertatur, & delirium oriatur.

§. III.

Declaraturi qvomodo *fermentum*, qvod *cauſam Hydrophobiæ* diximus, in corpore agat, *communicationis vias* paucis, melioris explicationis gratiâ, attigiſſe juvabit; nam non facilè in corpore generatur. Illud autem nobis communicatur communiſſimô modô *ſalivâ*, qvatenus *morſu canis* vel animalis rabidi eadem in corpus intrat, aut etiam allambendo ſaltim poris ſeſe inſinuat, & lymphæ ſociat. Nonnunqvam malum illud *oſculi* pœna extitit. Interdum *halitus* Amicorum corpora coinqvinavit. Haud rarò ex *Ciborum & potus reliqviis* in illud inciderunt, & eo citius qvando ex incuriâ aut inſcitiâ animalium *rabidorum carnes* comederunt. *Cor* etiam & *lingua Veſpertilionis* rabiem concitare creditur: Aliqvando etiam *aërem* miaſmate ſcatentem obſervarunt. Qvo modo corpus noſtrum intret, facilioris determinationis eſt, qvàm qvâ ratione operationes inchoet, easdemqve perficiat. Veteres qvi ad morbos totius ſubſtantiæ referebant, in occultis qvalitatibus acquieſcentes, ulterius vel non inqvirebant, vel ad intemperiem calidam & ſiccam, aut putrefactionem tandem referebant; ſed qvoties illa absqve hydrophobia? Ulterius progreſſi ſunt, temporis noſtri Philoſophi. Qvi ſtant à partibus Curioſi per ignem Philoſophi, uti *Helmontius* ſe vocat, irraditativè illud operari tuentur, qvando ſcilicet Lumen veneni formale noſtrum Lumen vita.e fermentaliter penetrat, & radicaliter absqve diſtinctione iſta ſe uniunt, ubi debilius poſtmodum à fortiori ſupprimitur atqve extinguitur. Immediatam enim formarum in formas actionem per penetrationem unitionis fermentalis, cum trausmutatione noſtri fieri ſtatuit. Unde de Hydrophobia dicendum eſſet, qvòd fermentum peregrinum, cum ſalivâ canis rabidi communicatum; agat in fermentum hominis, & lumen ejus commutet, dum ſeſe radicaliter ſociat, ut convertatur, & aliam nempè caninam proprietatem acqvirat. Vid. ipſum Autor. *Tract. magn. oport. p. 99. §. 54. ſeq. Natura contrar. neſcia §. 48, de magn. vuln. burat. §. 148. p. 472. Jus duumvirat. §. 5. p. 184.* Ad mentem Acutiſſimi *Marci Marci à Kronland*, Hydrophobia ex oritur, qvando rabidi canis ideæ ſeminales in ſpumâ vel etiam ſalivâ confuſæ, factô per morſum vulnere, ad fibras carnoſas, per has ſenſim & ſenſim in majora vaſa, ex his poſtmodum nunc citiùs nunc tardiùs ad Cor perveniunt, in eoqve veluti

centro evolutionem nanciſcuntur, ubi poſtmodum ſingulæ ſe ſociant ideis ſibi analogis, capiti qvæ ad caput &c. & ſic ad illas partes deferuntur. Hinc non unius tantum partis, ſed totius corporis Archeum illud ſeminale fermentum afficit. Qvô fit, ut, dum Archeus ideis canis rabidi vexatur, furibundus omnia in corpore ſubvertat. Idem ferè erit, ſi dixerimus fermentum hoc peregrinum ſociare ſeſe Spiritibus animalibus, eosq; turbare, & in iisdem formare ideas canis rabidi: Tunc enim fieri aliter non poteſt, qvin turbetur Phantaſia & Ratiocinatio, ut primùm in ſanguine, & deinde qvôvis liqvidô judicent ineſſe canes rabidos; Nam fermentum hoc peregrinum communicatur ſanguini & lymphæ, inde defertur ad ſpirit., unde Phantaſia dum perpetuò talia objecta ſibi repræſentantur, falſum hunc format conceptum, ſanguini & omni liqvido ineſſe canes rabidos. Ad qvæcunq; tandem, ſive Veterum, ſive Recentiorum dogmata nos convertimus, omnes unanimi conſenſu *venenatam atq; deleteriam* virtutem ſubeſſe ſtatuunt, hoc cum ſciamus in Naturam illius Veneni curatiùs nonnihil, qvantum ingenii permittit debilitas, inqviremus, formamqve atqve ſtructuram ejusdem perſcrutabimur. Generali nomine Venenum dictum fuit, qvoniam per venas & arterias ſerpendo, nobiliora viſcera, & principalia membra, ut Cor, Cerebrum &c. occupat. Non autem animus mihi eſt, nec ratio theſium noſtrarum permittit, deleteriam ſingulorum venenorum vim, eorundemqve conſtructionem & operandi modum proponere, qvòd qvædam ratione caloris, vel frigoris imprimis potentialis, qvædam narcoſi qvâdam ſphæram ſuam abſolvant. Melius forſan nos expediremus, ſi accuratiorem *minimarum particularum configurationem* ſiſteremus, in qvô tamen conatu, plurimi etiam Doctiſſimi, qvandoqve hallucinati ſunt. Qvapropter & Nobis tantò faciliùs Veniam promittimus, ſi oculari demonſtratione orbati, à poſteriori ſaltem & per conjecturas qvædam ediſſeramus. Apparent autem in Hydrophobia ſive Rabie affectis, variæ *exulcerationes* præſertim in Collo & *glandularum* aliarum, adeſt plerumqve *raucedo* cum *tuſſi* conjuncta, *ardores magni, tumores & eroſiones*, interdum totius cutis excoriatio. Accedit inſuper qvòd *canes* omnes ſint *calidiſſimi & bilioſi* temperamenti, in qvo *vitale ſulph. turget*, & abundantia ⊖*is radicalis* deprehenditur, ad mentem *Petr. Joh. Fabr. Lib. 5. Panchym. c. 9.* qvæ in hac p. n. conſtiutione à fermentatione magis adhuc augentur,

 & exal-

& exaltantur ſemel in motum concitatâ bilis oleoſ.& ⊖no vol.ſubſtantiâ. Qvapropter probabile admodùm videtur, dependere vim illam venenatam, ab *acutis atq; acribus ⊖no ſulphureis particulis*, qvibus incidit, atqve erodit, *volatilibus* inſuper *& ſui maximè multiplicativis*, cùm in minimâ etiam qvantitate corpori immiſſæ, tot tantasqve alterationes & mutationes perficiant. Nam qvatenus ſe ſociant ſpiritibus animalibus vel Archeo, figuram canis variâ ſuâ diſpoſitione repræſentant, & Phantaſiam turbant, qvatenus ſanguini qvoqve cohærent, ejusdem craſin mutant, ut variâ ſubſeqvantur Symptomata. Hinc ut ſupra monui, nolo excluſas ſeminales furoris ideas, ſpumante ſalivâ & bilioſis dentibus per morſum in vulnus immiſſas, qvas pars ſigillata vicinis, hæ adjacentibus, per totum corpus communicat, Archeum cum miniſtrantibus ſpiritibus pari ratione irritans, & in furorem redigens.

§. IV.

Fermentum hoc *humores, ſpiritus, ſ. Archeum* non ſolùm ſed & *Partes ſolidas* afficit. *Humores* qvidem qvatenus ſanguinem & lympham, itemqve etiam bilem pervadit, eorundemq; particulas permutat & diſlocat, & ita poſtea diſponit, qvemadmodum in cane rabido antea fuit diſpoſitio. Fermentorum enim natura eſt, id, in qvod agunt, ſibi ſimile reddere. Quô factô eadem mutatio contingit in ſpiritibus, in qvibus non ſolùm particulæ, ſulph. & ⊖næ cumulantur, ut *fervidi* fiant, ſed etiam *Ideæ canis rabidi* variè formantur, qvæ oblatæ Phantaſiæ eandem turbant. Qvemadmodum autem per humores & ♌ hoc Venenum facilè diſſeminatur: ita & qvàm lubentiſſimè *glanduloſum genus* afficit, *humoresq; ſecernendos peſſimo ſuo charactere deſignat*. Diſtinguit easdem *Dn. D. Præſ. in Prælect. publ.* in *Conglobatas, congregatas, conglutinatas* & *conglomeratas*. Omnis generis in hoc affectu affici aſſerere non dubitaverim, magis tamen conglutinatas & conglobatas. *Joſeph. ab Aromatariis* & *Petr. Salius*, ambo accuratiori Anatomica inſpectione in Hydrophobia demortuis, gulam viſcoſâ lymphæ materiâ repletam conſpexerunt. Ex qvo patet, qvòd *glandulæ Oeſophagi congregatæ*, itemqve *tonſillæ*, qvas ad *conglutinatas* referimus, afficiantur, unde & ab aliis ad *Anginas* refertur *Hydrophobia* vid. §. VII. Raucedo cum tuſſi innuit qvoqve *glandulas aſperæ arteriæ* eſſe affectas. Si verùm eſſet, qvod ſtatuit *Hippocrates*, *cerebrum eſſe glandulam*, facilè pate-

ret,

ret, cur adſit delirium. Teſtes qvoqve erunt hujus afferti, *maris teſticuli*, in qvibus ſemen variô modô alteratur, & in fermentationem plus juſto majorem eô tempore agitatur, qvod ex ſpumâ copioſiori in Rabidis ſemper obvia colligere eſt, qvæ proventus & de eſſentia ſeminis eſt, Autoritate *Hippocratis*. Glandoſa qvoqve corpora *Proſtatæ*, venenatum ſtimulum perſentiunt, dum actio illarum ab heterogeneis irritantibus particulis augetur, ut in voluntaria (qvæ ſæpiſſimè ægrotis noſtris ſupervenit) liqvoris fiat excretio. Liqvorem autem illum excretum cum Cordatioribus non tam verum & genuinum ſemen, qvàm humorem ex albo flaveſcentem, à proſtratis copioſius ſecretum, judicio. Ut paucis me expediam, omnes generationi dicatas partes affici, imò ſemen ipſum, corpus aliàs perfectiſſimum ex ſubtiliſſimâ arterioſi ſanguinis parte, multisqve ♎bus abundante, pravâ diſpoſitione contaminari firmiter perſuaſus ſum. Qvod & *Helmont.* Tr. 2. *demens Idea* confirmat, dum inqvit: *Idea amens penetrat ♎m inſitum, unde ſemen violat, ſibi genialis facta.* Qvæ verò mutationes à ſemine dependeant, me qvoqve tacente, qvivis intelligit. Glandulæ iſtæ variè afficiuntur, vel qvatenus ſal peregrinum ſociat ſeſe fermento glandularum acido & coit cum eo ac coagulat lympham: vel etiam qvatenus easdem irritat acredine ſua ad expellendum. Ita omnia qvæ Natura maximè erant amica, contra eandem inſurgunt, inimicitiam fovent, bellumqve indicunt, & per conſeqvens deleteriam facultatem acqvirunt, ut nec *Cor* nec *Cerebrum* ſit excludendum.

§. V.

Explicatò modô, qvô Venenum in nos agit, ſcilicet *partim* per *Ideas* furibundas, Archeo impreſſas, *partim* per *fermentum* vel ſalivam, reſtat ut dicamus, qvî fiat, qvòd non in omnibus certum, ſed planè diverſiſſimum ſeſe explicandi terminum obtineat? Qvidam enim ſtatim morbum ſentiunt, nonnulli vigeſimo demum die, aliqvando ad duos menſes differtur: Octavô pôſt menſe in puero à cane rabido demorſo effectum prodiiſſe refert *Fracaſtor. Lib. 2. de Morb. contag. c. 10.* Famigeratiſſimus *J.Ctus Baldus*, qvartô, poſt acceptum à catello mæliteo minutiſſimum vulnuſculum in labiis, menſe, hydrophobia correptus, fatis conceſſit. Mira & omnibus nota proſtat Hiſtoria de Nobili qvodam, qvi demorſus à cane mæliteo rabido in faciem, poſt aliqvot demum annos ab omni veneni,

 ſuſpi-

ſuſpicione liber, nuptias celebravit, ubi autem primos amoris fru-ctus decerpere tentabat, rabie correptus, ſponſæ faciem cum adjacente carne arroſit, ad ſic diem lætitiæ deſtinatum, truculento ſpectaculo fœdavit. *Anton. Gvainerus Lib. de Venen. c. 12.* meminit, qvòd cuidam poſt decimum octavum annum Væ timor acceſſerit. Per tantum temporis tractum Venenum latitare poteſt, interim autem non otiatur & qvieſcit, licet ſui notitiam nobis non prodat, ut rectè *Gal. Epidem. Comm. 3. Text. 25.* annotavit. Hanc prorumpendi, ſeqve prodendi varietatem partim à corpore noſtro, partim etiam ab ipſo Veneno dependere autumo. Aliqvando enim invenit corpus floridum atq; ſanum, multis ſpiritib9 abundans, qvi vitioſas accedentes ideas, non adeò fortes atq; tenaces, & Archeo rectori impares ſubjugare valent; illæ qvidem poſtmodum diutius in corpore noſtro latitare & absq; effectu hinc inde in partibus pervagari poſſunt, nondum morboſo charactere ſepoſito, donec adveniente aliqvâ cauſa occaſionali, ſive Ira ſit, ſive etiam terror, vel aliud animi pathema, occaſionem nanciſcatur ideas errantes evolvendi, atqve ulterius explicandi. Prætcrea ſi adeſt fortius fermentum, qvod huic reſiſtere potens eſt, aut in corpore contrariæ inſint particulæ fermentationem impedientes, & Venenum in animali rabido nondum exaltatum, ſed mite adhuc, & cuticulæ ſaltem, aut cuti affrictum, facilè ad aliqvod temporis ſpatium protrahitur effectus, præſertim ſi ſub initium excellens aliqvod adhibitum fuerit medicamentum. Cæterùm ad *Helmontii ſententiam, ſolenne eſt Venenis iſtis nunc citius, nunc tardius operationes ſuas perficere.*

§. VI.

In ſuperiùs allatis, diverſis in locis, præcipuarum cauſarum, miſerrimum hunc affectum conſtituentium, facta fuit mentio, qvapropter paucis hic attingam, qvæ huc ſpectare adhuc videntur. Non autem negandum, maximam ſuperiorum corporum in inferiora vim eſſe; vix enim absq; cœleſti conſenſu & influxu aliqvid hominibus contingit. Qvando proinde circa morbi inſultum cœli poſitus malignioribus nos irradiat conſtellationibus, non eſt dubitandum, graviora ſubſeqvi ſymptomata, qvàm ſi beneficis nos conſoletur radiis. Noſter affectus maximè prorumpit *diebus Canicularibus* Sol. in Leon. exiſtente; circa illud enim tempus canes in furorem agi aſſolent. Qvæ mala *Caniculæ* exortum ſubſeqvuntur.

qvuntur *Plin. lib. 2. c. 40.* docet: *Fervent maria, fluctuant in cellis vina, moventur ſtagna*; nec credendum oceanum microcoſmicum ſubſidere. Regnante Syrio propter defectum humidi ſalia concentrantur in *aëre*, qvæ illum reddunt acrem, & ſpiritus noſtros fervidos, ſi cum iisdem ſeſe ſociant. *Aer* nonnunqvam effluviis ex animalibus rabidis ſcatens in corpus reſpiratione attrahitur, cauſaq; exitii noſtri fit. Nec enim impoſſibile eſt absqve morſu animalium rabidorum hydrophobiā excitari ex ſolis vitiatis corpuſculis ſive effluviis, qvæ durante hac fermentatione, in magnâ copia per inſenſibilem transſpirationem egrediuntur, hæ ſi ab adſtantibus inſpiratione hauriantur, vel per poros corpus noſtrum, undiqvaqve perſpirabile permeent, faciſimo negotio ſimilem fermentationem excitare poſſunt. *Vid. Hildan. Obſerv. Chirurg. p. 1127.* Huc referendus qvoqve *Cibus & Potus*, ſi caro rabientis animalis in uſum noſtrum cedit. Vid. *Fernel. de abdit. rer. cauſ. Lib. 2. c. 14. p. 223.* item Cibi ab ægrotantibus relicti, non ſunt comedendi, ſed ſepeliendi potius, neqve ex ejusdem, cum ipſis, poculo bibendum, de qvo monendi adſtantes. Nocent *vigiliæ*, qvatenus ſpiritibus agitatis, nullum recolligendi tempus datur, & damnum infert: *ſomnus* diuturnior, qvi morboſarum idearum generationem promovet. In ſomno etiam maximè Archeus Phantaſiæ adminiculo abutitur, dum varias imagines concipit, & realiter format. *Nimius* qvoqve *motus* fermentum latens excitare, & in actum deducere poteſt. Qvemadmodum & *Excreta & Retenta*, niſi juſto tempore excernantur putredinis atqve fermentationis exiſtunt cauſæ, item *reliqvæ evacuationes* ſolennes ad tempus intermiſſæ, & ſeminis longior retentio. Omnium autem maximè *Animi pathemata* ſuum Symbolum conferunt, præ reliqvis *Ira*, hæc qvæ morborum monſtra produxerit, innumerus apud Autores invenitur numerus, & cum per ſe furor brevis audiat, qvantum poſſibile in hoc caſu, qvi cum furore conjunctus, præcavenda excandeſcentia. *Metus* item atqve *Triſtitia* multum ad hydrophobiam conferunt, qvatenus Archeus contriſtatur, ut deinde Ideis morboſis ſeu peregrinis reſiſtere neqveat, ſed, ut ſibi imprimantur, permittit.

§. VII.

Cùm non omnis canis morſus rabiem inducat, commodè eosdem diſtingvimus in *Venenatos* & *Innocuos*: *Hi* ſponte ſua,

 absqve

abſqve graviorum Symptomatum acceſſu, & ſine magno dolore conſolidantur, & plerumq; vel inter ludendum vel ex improviſo acceſſu in alienum locum imprimuntur, aut qvandoqve à cane ad iram laceſſito, licet & poſteriores non ſint negligendi. *Illi* virus ſuum vulneri infundunt, & comitantur eosdem exqviſitiſſimi dolores, cum ingenti graviorum Symptomatum caterva, inde Rabies. Qvæ differt *ratione cauſæ*; qvatenus vel *fortius* vel *levius* venenum immittitur, & vel *citius* vel *tardius* operationem perficit. *Ratione Symptomatum* aliqva etiam differentia peti poteſt, ſiqvidem alii plus vexantur ſingultu, alii magis cruciantur ſpaſmo & convulſionibus. *Th. ophraſt. Paracelſus in Opere Chirurgico Tract. 3. c. 1. p. 45. de Sanation. Vulner. Tract. 3. c. 2. p. 503.* hanc deſtinctionem proponit, cujus verba proprio Idiomate huc transſcribere placuit. Die Biß der Hunde theilen ſich in drey Wege / in den wůtenden Biß / in Zorn-Biß / und in den gemeinen Biß; Was wůtende Biſſe ſind / die ſind die bőſeſten / denn die Natur des wůtens ſchlågt mit ſambt dem Biß in den Menſchen / und daß alſo wůten und beiſſen beyeinander ſind; Darnach die Zorn-Biß / das ſind die / ſo die Hunde erzůrnet werden / und alsdenn mit demſelben Zorn beiſſen / iſt nachfolgend der gifftige Biß / denn der Zorn mit ſambt den beiſſen bleiben in der Wunden vereiniget. Darnach iſt der gemeine Biß / das iſt / ſo ſie in einem ſchlappen beiſſen / oder in einer gåhe / iſt der minderſt / und am leichteſten zu heilen. Alſo ſolt du auch wiſſen / daß die Wőlff-Biß dergleichen / wie mit den Hunden zu heilen ſind / auch die wilden Schwein / und dergleichen Thier / doch ſo werden ſie nicht unter der wůtenden Art begriffen / ſondern in eim Zorn-Biß. Et hæc Paracelſi verba morſuum differentias, & ſubſeqventia Symptomata ſatis benè diſtingunt.

§. VIII.

Diſtingvitur Hydrophobia facilè ab aliis affectibus, qvibus cum ſæpè confunditur, per ſigna. *Joſeph. ab Aromatar.* ad *Anginam* referre conatus eſt, *in ſcripto pecul. de Rabie contag.* qvoniam ſimilia nonnulla, qvæ in Angina occurrunt, deprehenduntur ſymptomata. Optimè autem diſtingvi à ſe invicem poſſe hoſce affectus exiſtimo, ſiqvidem neqve internorum *Laryngis*, ut in κυνάγχῃ, neqve externorum muſculorum, ut in παρακυνάγχῃ adeſt inflammatio: neqve etiam *Pharingis*, vel interiores, ut in Συνάγχῃ, vel exteriores

teriores, ut in παρασυνάγχῃ muſculi incendio laborant. Difficiliſis enim Reſpiratio, & deglutitio gravior, non tam à muſculorum vitio, qvam *glandularum jugularium ac Oeſophagi*, itemqve *tonſillarum* actione depravata exoritur, qvemadmodum §. 4. dictum. Illæ enim quemadmodum in ſtatu naturali, qvando lympham ſecernunt tenuem, deglutitionem promovent, ita in ſtatu p. n. viſcoſitate meatus unà cum ſtomachi orificio obſtruendo, eandem impediunt. Idem judicandum de Thyroideis & reliqvis aſperæ arteriæ conglobatis & congregatis glandulis, qvando vitiatæ tenaciorem ſegregant pituitam, qvæ circillis adhærens, non tantum deglutitionem, ſed & reſpirationem lædit. Alias differentias, qvibus ab Anginâ diſtingvi poſſet, lubens prætereo, adducto adhuc unico *Ariſtotelis* teſtimonio, qvi *Lib. 8. Hiſt. Animal. c. 22.* dicit: *Canes laborant tribus morbis. Iſti autem vocantur Rabies, Cynanche, podagra.* Licet & in Maniâ atqve Phrenitide qvædam occurrant ſigna, noſtro affectui communia, à *Phrenitide* tamen facilè diſtingvitur, qvia neqve inflammatio meningum adeſt, nec febris continua; qvamvis enim aliqvando febris obſeruata fuerit, non ratione hujus Symptomatis, ſed aliis ex cauſis acceſſit. Cum *Maniâ* convenit ratione *furoris*, differt autem ab eadem, proprio accidente, *qvod metus adeſt aqvæ*, tum etiam ratione *cauſarum, termini, & modi.* Vid. *Codronch.* & *Mercurial.* Breviter, ab omnibus inflammatione conjunctis affectibus diſtingvitur, dum neq; adeſt Phlegmone, nec Eryſipelas.

§. IX.

Cùm diſtinxerimus morſum innocuum à venenato, ſeu ad mentem Paracelſi inter morſum qvi ludendo imprimitur, iratum, vel tandem rabioſum, methodi reqvirit ratio, ut ſigna apponamus, qvomodo ſint cognoſcendi & à ſe inuicem diſcernendi. Statum canis nat. præter neceſſitatem huc transſcribere nolo, qvotidiè enim geſticulationibus ſuis, noſtris obverſantur oculis. Iratum dijudicare poteris, perſpectis rabioſi ſignis, qvæ ſunt: Inſolita triſtitia, ingreſſus ebrioſi ſimilis, ad muros hinc inde impingentis, Os hians cum linguâ ſpumante ſalivâ extra projectâ: Flammei & rubentes conſpiciuntur oculi & caudam intra coxas abſcondit. Niſi planè mutus fuerit, raucum edit latratum, canes ſanos abhorret, & ipſis qvoqve eſt terriculamento, unde eundem fugiunt. Cuiqve

reiqve

reiqve rei viſæ repugnat, & omnes qvi ei obviant, ne Domino excepto infauſto vulnere notat: averſatur cibum, ſiti qvidem vexatur, potum tamen abhorret: Si qvis ex terrore aut incuria hæc ſigna in cane non attendit, vix melior cognoſcendi morſum proſtat ratio, qvàm ſi inflictum vulnus fruſtulâ panis infricetur,& canibus ad edendum projiciatur, à cujus eſu ſi abſtinent, rabioſus fuit, aut edentes ſimili corripiuntur rabie. Alio etiam Experimento in notitiam venire poſſumus, aſſumptis ſcilicet Nuc. jugl. recent. ſi fieri poteſt, nucleis, apponantur vulneri, & gallinis ad devorandum proponantur, aſſumpto cibo facilè rem manifeſtabunt; In juglandium defectu eadem ratione experimentum cum pane ſuccedit.

§. X.

Certisſima *Signa* erunt morbi effecta ſive Symptomata, qvæ morbum actu adeſſe declarant, qvæ enim à causâ petuntur, morbum poſſe adeſſe tantùm probant, & hinc inde fuerunt tradita. Omnia autem Symptomata referuntur vel ad actiones læſas, vel qvalitates mutatas, vel excreta & Retenta. Præcipuum ſignum eſt *Delirium* cujus Naturam ſupra explicuimus §. 2. qvod cognoſcitur ex variâ geſticulatione, abſurdorum elocutione, & falſorum imaginatione & affirmatione, Non ſolùm enim falſo imaginantur ſibi, ubivis in liqvidis eſſe canes rabidos, qvod §. 3. declaravimus; ſed & ſemetipſos canes eſſe putant. hinc *latrant*, *volutant ſeſe in terra & obvios commordent*, qvoniam ſemper Ideæ canis obverſantur Phantaſiæ, & Archeus Director ab iiſdem turbatus caninas proprietates exercet. *Furor* conjunctus eſt, & cognoſcitur, qvod homines, temerario auſu invadant, & magnum adſit adſtantes dentibus ſuis dilaniandi deſiderium. Actionis Natural. Symptomata ſunt, *Nauſea* & *Inappetentia Cibi*. Licet enim Nervi Ventriculi ſive à liqvore qvi ordinariè à glandulis Ventriculi ſecernitur, vellicentur, ſive à corrugatione ventriculi plus juſto intendantur, ut actio illa dolorifica animæ communicetur, illa tamen variis confusè ſimul occupata rebus, hoc non attendit. Hinc ob defraudatam Nutritionem neceſſarium ſubſeqvitur conſeqvens *Macies*, corpus enim inareſcit & gracileſcit. Fieri etiam poteſt Inappetentia, ut ſæpisſimè ab Excell. Dn. Præſide obſervatum fuit in illis qvi placidâ morte fato conceſſere, ut perpetuò Ventriculu[s]

manea

maneat tumidus, & nulla fiat corrugatio. Omni enim ſalivæ, & aliis humoribus à glandulis faucium ſecretis, & naturaliter in Ventriculum abeuntibus, ob glandularum intumeſcentiam & pituitæ copiam denegatur influxus, qui verò ibidem latitant, ab incaleſcentia, qvæ nunqvam ab alio humore temperatur, reſolvuntur in flatus, membranas magis magisqve extendentes. Illi vapores tenues *oris ſiccitatem* faciunt, & *inextinguibilem ſitis* imprimunt *Ideam*, qvæ vehementiſſimè ægrotos noſtros affligit, qvoniam in glandulis ſalivalibus, non niſi craſſa ſecernitur & viſcoſa pituita, qvæ facilè qvidem in *ſpumam* abit; ſed fauces humectare non poteſt. *Raucedinem vocis* ab eodem vapore & glandularum colli tumore deducimus. Ad hæc Symptomata ſe jungit *motus membrorum involuntarius*, ab inordinato ⁓uum motu : *partium tremor* à variâ ſpirituum influentium vibratione: & tandem qvoqve circa finem *Convulſiones* à particulis acribus in ſangvine contentis, & nervos moleſtâ vellicatione irritantibus. Crebriori vexantur *ſingultu*, propter ſimilem Diaphragmatis convulſionem. *Involuntaria* illis contingit *ſeminis emiſſio* propter ejusdem calorem & contractam acrimoniam, conglobatas teſticulorum & conglutinatas Proſtatarum glandulas ad ſecernendum ſtimulantem. Ultimo demum loco, qvando mors jam in propinquo à ſpirituum reſolutione, qvorum major pars abit in auras; acidæ & ruderoſæ ſangvinis reliqviæ, qvicquid adhuc ſupereſt volatilis, figunt, crasſioriqve ſua ac terreſtri materiâ, orificia vaſorum cordis obſtruunt, ſuboritur *Syncope*, & à denegatâ caloris ad peripheriam corporis diſtributione, à glandulis miliaribus cutis, qvas d. 7. April. pronuper manifeſtò ſatis demonſtravit Dn. Præſes, *mador* ſecernitur *frigidus*. Notabile adhuc & qvod admiramur magis, qvam explicamus, reſtat phœnomenon, ⊡ ſcilicet. Qvamvis verò Uroſcopia à Politioribus ſeculi hodierni Medicis tanti non æſtimetur ac Veterum temporibus, cùm fallax ſæpisſimè ſignum ſit, nihiloſecius tamen in hoc affectu accuratiorem aliqvam inſpectionem meretur. Plurimi enim Philoſophi ac Medici canum ſimulachra ⊡nis innatare, cum *Avenzoar*, *Nicolao Florentin. Thoma Avega*, ſtatuunt. Alii cum *Avenſina* c. 7. Tr. 4. Fen. 6. Lib. 4. putant, qvòd ſic affecti nonnunqvam mingant ⊡, in qvâ apparent res catnoſæ mirabiles qvaſi ſint animalia, & qvaſi canes parvi. Poſterior ſententia veritati magis videtur congrua.

C

Carun-

Caruncu las enim interdum in ⊡ inventas fuiſſe, jam ſuo tempore omnis Medicinæ Parens, Hippocr. 4. Aphoriſm. 76 docuit, deducens easdem ex renum læſione, cùm autem ut ſæpius diximus, venenatum fermentum, glandulis maximè ſit inimicum, facili negotio Exulceratio Renum fieri potuit. Vel etiam qvando pingvedo inſtar telæ aranearum ⊡ innatat, ſignum eſt hominem tabe conſumi, uti 2. Præſag. 35. docuit. Jam verò ſcimus ex præcedenti Hydrophobos laborare Inappetentiâ & Tabe, non adeò abſurdum erit conjicere, Naturam ſui conſervatricem colliqvefactam pingvedinem, (qvæ nihil aliud eſt, qvàm ſuccus alibilis, intra membranæ adipoſæ duplicaturas collectus, & à glandulis miliaribus ſecretus) in defectu alimenti, per vaſa lymphatica reducere, & denuò cum ſangvine commiſcere ad partium ſpermaticarum nutritionem; quod Dn. D. Præſes in ſaginato bove aliqvando obſervauit. Hæ particulæ flexiles atqve fibroſæ, qvando cum particulis humorum excrementitiorum viſcidis atqve ſulphureis in vaſis concurrunt, figuntur atqve coagulantur ſub variâ forma, & poſtmodum cum ⊡ excerni poſſunt. Id qvod & innuiſſe videtur dicto loco Ablaſina. Priorem qvod attinet ſententiam, tantorum in Re Medica Clarisſimorum Virorum teſtimonia, in dubium vocare aut planè rejicere nefas duco. Qvòd ſi verò in ⊡ exſtiterint ejus modi canum ſimulachra, egregiè id confirmaret Idearum doctrinam.

§. XI.

Qvòd ſit Affectus longè periculoſisſimus, & omninò dubiæ ſpei, omnes uno ore confitentur Medici. Tanto autem periculoſior, qvanto propius vulnus cordi vel cerebro, judicatur. Tanto gravior, ſi Arteria fuerit læſa, & exqviſitisſimis cruciatibus ſtipatus, ſi nervus fuerit vulneratus. Judicatur immedicabile vulnus:

cum mala per longas invaluere moras,

ut jam adſit involuntaria ſeminis excretio, & ad mordendum obſervetur propenſio, qvando ægrotus humi ſe volutat, ſingultus auditur, poſt animalis morſum ſtatim immediatè ♏æ timor accedit & tandem Syncope cum ſudore frigido ſupervenit, nullam reconvaleſcendi ſpem ſupereſſe autumant. Erigitur ſpes, & adhuc extra periculum ægrotus, priſtinamqve recuperatutus ſanitatem creditur, qvando contrarius reperitur ſtatus: Sangvis ex vulnere copi

copioſius promanat, & citò in pus convertitur, neqve demorſus propriæ in ſpeculo adverſatur imagini: Si uberior ſudoris atqve ⊡ præſertim nigricantis fuerit profluxus, & Rabies per contagium ſit exorta, atqve Hydrophobia ſtatim ſub initio qvibusdam remediis, ne accedat, præcaveatur. In qvocunqve demum inveniatur ſtatu, nunqvam tamen absqve auxilio relinqvendus eſt ægrotus,& cùm ſit affectus gravis atqve dubius, generoſiora remedia adhibere conveniet, aliqvando & dubia ſunt tentanda medicamina.

§. XII.

Negotium felicius expediemus, ſi, prout methodus reqvirit, certas eruerimus Indicationes. [1.] Vulnus inflictum ſui unitionem indicat, (ſed nunqvam ante 40. diem eſt conſolidandum propter contraindicans.) [2.] Fermento in corpus immiſſo ponendæ ſunt obices, ne ad interiora progrediatur, ſed qvantum poſſibile revocetur & extrahatur. [3.] Admiſſum, qvantocyus convenientibus Alexipharmacis iterum eſt expugnandum. [4.] Ideæ ſunt corrigendæ vel delendæ. Tandem [5.] Membra principalia ad reſiſtendum ſunt confortanda. Diverſimodè ſcopo noſtro inſervire poterit *manus Chirurgi*, variisqve Inſtrumentis malo mederi. A mitioribus progrediamur ad majora ſi neceſſitas id efflagitabit. In initio qvidem ſufficiunt *Ligaturæ* ad Interceptionem, ut occludatur via, qvâ alias fermentum ſerpere aſſolet. Nec fruſtra adhibebuntur *Hirudines*, peregrinas in ſangvine particulas extrahentes: Commodius adhuc fieret exſugendo Venenum, ſed exulant à finibus noſtris *Pſilli* atqve *Marſi*, & dubito ferm è, utrum ex numeroſâ hominum, audaciſſimorum alias, coronâ, unum ſis reperturus, cui tanta auri fames, ut ſplendidiſſimis pollicitationibus occæcatus, hoc officium obiret. Rariſſimum eſt Exemplum & ad ſingularem erga Conjugem amorem referendum, *Eduardi Regis Angliæ Uxoris*, qvæ non dubitavit, toxicum, venenata ſagitta immiſſum exſugere. Horum vices ſubeunt *Gulinæ deplumatæ*, vel *Columbæ* diſcerptæ & vulneri impoſitæ. Conducunt qvoqve *Cucurbitulæ cum ſcarificatione & multâ flammâ*, nec incongruè adhibentur *veſicatoria*. Præſtantiſſimum meo judicio remedium eſt, *partis*, ignobilioris præſertim, *abſciſſio*, nam:

— — — immedicabile vulnus
Enſe reſcindendum eſt, ne pars ſincera trahatur.

Hâc enim ratione Venenum cum parte illa tollitur & metus ſubſeqventis mali evaneſcit. Qvòd ſi pars commodè à corpore dive li neqveat, ad *ferrum candens* confugiendum; Hi modi, licet duriores nonnihil videantur, Homines tamen omnibus viribus ſui conſervationem intendunt, & intrepido animo

Ut vitam redimant ferrum patiuntur & ignem,

ut rectè cecinit *Ovidius.* In delicatioribus hominibus, fœminis præſertim, qvæ mortem citius ſubire, qvàm ignem experiri volunt, *dilatetur* prius *vulnus*, poſtmodum admoveatur qvidem ferrum excandeſcens, ita tamen, ne Vulnus ſ. pars læſa tangatur; hôc enim modô venenum vulnere extrahitur, Archeus qvoqve ita terrore afficitur, ut Ideam jam impreſſam dimittat, & aliam ſibi fabricet contrariam, & ſic veneni vim non parum infringemus. Similem forſan effectum præſtabunt *Cauſtica*, ut vocantur, *potentialia*, verbi cauſa, ☿♎, ☿♐, & ol. Tart. *à Petro Joh. Fabro* recommendata, item ☽ *cauſtica Poteri*: ♌ ⊕, ſulph. & ⊖lis externè vulneri inſtillata, cùm enim ſuperiùs indigitaverimus, Naturam fermenti conſiſtere in ⊖e vol. acida illa ⊖ium ferociam figendo coercebunt, vel planè etiam coagulatione fermentum enervabunt. Cùm autem hoc remedium propter intenſiſſimos cruciatus, vix tentandum, ad *Experientiſſ. Angli Rob. Boyle* mentem, ne nimiam excitemus doloris acerbitatem, *fumum* ex hiſce accenſum vulneri admoveamus, & ſic repetitis vicibus forſan idem eventus erit expectandus. *Emplaſtra* qvæ vulneri ſunt apponenda, vid. apud *Magnum & de Re Medica optimè meritum B. Dn. D. Sennertum in Inſtitution. Lib. V. Part. I. c. 9. & Part. III. Sect. 3. cap. 36. Praxeos Lib. I. Part. II. c. 16. p. m. 436. ſeqv.* Chirurgo verò ſeriò inculcandum, ut vulnus ad 40. dies relinqvat apertum, ne, ſi fortè reliqviæ Veneni adſint adhuc, occluſæ intra corpus ſe recipiant. Ad operationes haſce Chirurgicas, ſpectant adhuc *Gargariſmata*, qvæ neceſſariò reqviruntur, qvando glandularum jugularium & Oeſophagi deprehenditur Intumeſcentia, & deglutitio fit læſa; componi poſſunt ex *Herb. Salv. Origan. Puleg. Scabioſ. Hyſſop. Ror. ☉. Veronic. prunell. fol. tuſſilag. fl. roſar. rubr. primul. Veris &c.* vel etiam ex ▽ harum deſtill. additâ ad ℔ j. liqvoris, *Syrup. Diamor. vel Dianuc.* ℥ j. & ⊕tri parum. Optimè in omnibus glandularum affectibus conducit, & præſentaneum præſtat auxilium, *Fabaria ſ. telephium*, vel in ſubſtantia vel ▽ ejus deſtill. Externè collum poterit circumcingi Cataplaſm. ca-

lid.

lid. ex Herb. emollientibus & diſcutientibus antea traditis, & inferius tradendis. Vel *Empl. de Melilot. Diachyl.* magn. *Unguentum Apoſtol.* vel qvod meo judicio optimum, *Empl. Diaphoret. Mynſicht.* qvod poros atqve meatus aperit, craſſosq; ac viſcidos homores ibidem ſtagnantes, attenuat & expellit.

§. XIII.

Inter reliqva, *Pharmaceutica* medicamenta qvæ peti poſſunt *ex triplici regno*, primo loco ex *animali* deſumpta ponimus: Cùm verò omnia Venena ſua habeant *Antidota*, qvid hîc propinandum proſpiciamus. Scimus enim de Scorpione, qvi vim inferens capitur, contunditur, & vulneri applicatur, qvod Venenum revocet. Idem creditur de Tarantul. araneis, Veſpis &c. Varia qvoqve de Cane laudant ſpecifica, ſic ut pili, vulneri impoſiti, venenum extrahere dicuntur. Alii *hepar animalis rabidi* coqvunt, & comedendum ægrotanti offerunt cum ſucceſſu. Qvidam pro *Corde* pulveriſato & exhibito militant. *Sylveſt. Rattray Coagulum Catuli*, ſugentis adhuc, in ✠to propinat; qvod & hydrophobiam præcavet, & appetentiam ▽æ inducit: Nos antidotum potius qværimus *in* ⊖*e animalis rabidi, in qvo virtus concentrata atq; unita deprehenditur*; Sic ⊖ viper. viperarum medetur morſibus &c. Et hâc ratione qvoqve medicamentum jucundius & tutius efficitur. Virtus medicamentor. ex cane deſumptorum, conſiſtit in ſimilitudine, cum juxta canonem ſimile attrahat ſuum ſimile, qvapropter vel medicamenta intus aſſumpta, aut etiam partibus exterioribus appoſita, fermentum vitiatum ⊖num ſuæ naturæ conforme attrahunt, alterant, & fermentationem impediunt. Sunt & aliorum animalium partes affectui huic dicatæ, *ut Congul. Lepor. Capreol. Vulp.* (omnia enim coagula aliam inducunt particularum fermentationem,) *Mergi jecur aſſatum, pellis Urſi.* Theophr. Paracelſus *corium Phocæ & de capite Lucii piſcis* commendat. *Hydrophobicorum Bezoar* communiter appellatur, *Cancri viventes* adhuc contuſi, pulveriſ. & exhibiti, qvod Arabibus commune fuit. Recentiores omnia qvantum fieri poteſt palato accommodant, & *Eſſent.* ſive ⁓ exinde præparant, vel etiam ⊸ *Cancr.* aut *Lap.* 69. qvibus ▽tatur fermentum hydrophobicum præſcribunt. Huc pertinent qvoqve *mandibul. Lucii piſc. CC. uſt. Unicorn. ver. Raſ. Ebor. Os de Cord Cerv. Bezoard. Cerv. Trochiſ. viper.* & omnia præcipitandi & Alexiteriam vim habentia. Noſtro ju-

dicio omnia iſta jam enarrata, operantur idearum conformationem diſſolvendo, qvatenus ſeſe inter fermenti rabidi particulas interponunt, & ſic ſimul fermentationem impediunt. Qvod ex his longè plurima poſſint componi medicamina, Artis perito, qvi variare formulas didicit, ſatîs notum eſt. Nobis qvi brevitati ſtudemus, aliqvas tantum apponere placuit.

℞. CC. uſt. Spin. viper. aa. ʒß.
Ocul. 69. ʒj.
⊖ canis rabid. ʒß.
M. D. in 6. part. æqv. D. S.
6. Pülverl. alle Tage früh und des Abends j. zu nehmen in ▽ theriacal.

Nb. In defectu ⊖is canis rab. poteſt ſubſtitui ⊖CC. vel Viperarum.

℞. Gelat. CC. ℥ß.
Coagul. catul. ℥j.
M. D. S.
Gallert/ nach Belieben darvon zu nehmen.

℞. Eſſent. 69. ʒj.
Liqv. CC. ſuccin. ʒß.
▽ Cord. Cerv.
Cicon. aa. ℥j.
⊖ viperar. ℈ß.
M. D. S.
Schwitz-Tränckl. auff j. mal. Doſ. repet.

§. XIII.

Ab animalium Cancellis in latiſſimos pariter ac jucundiſſimos vegetabilium exſpatiamur campos, in hiſce ſalutiferas uſui noſtro inſervientes invenimus *radices*, conducibiles conſpicimus herbas, blandorum obſervamus florum abundantiam; odoriferorum fructuum atqve ſeminum copiam, reſinoſorum lignorum, corticumq; varietatem, ſulphureor. gummatum, bituminum atq; ſuccorum apparatum, ut Nobis de ſelectu tantum incumbat eſſe ſollicitos. Sufficiat ex hiſce potiora annotaſſe. Ex Radicibus com-

commendatur *Rad. Gentian. Cynorrhodon* (à Diis revelatum contra hunc morſum, ut vult *Plin.*) *Helen. pimpinell. fœnicul. tormentill. Scorzoner. Diptamn. alb. Aſparag. & omnes radices Alexipharmacæ.* Inter herbas eminet *Alyſſum, allium, anagallis, Artemiſia, abſynthium, Betonic. Carduus Ben. Calamenth. Cent. min. chamomill. Hyperic. Plantag. Roſmar. Rut. Scord. Tormentill. &c. Sem. Salv. agni caſt. fœnic. Raſur. lignor. Viſc. qv. & coryl.* Operantur pleraq; volatil. ſuo ⊖, qvo diaphoreſin excitant, & ſic fermenti peregrini particulas è ſangvine & toto corpore ſecum educunt. Ex *fructibus* primas tenet *Nux moſch.* qvæ in faucium affectibus, à lympha craſsâ ortis; ob particulas ſuas aromaticas vol. qvibus incidit mira præſtat. Hiſce annumerandi ſunt *Gummata* v. g. *camphor. & myrrh.* qvæ præter vim alexipharmacam egregiâ diſcutiendi & ad peripheriam corporis noxium pellendi vi pollent. Et qvi primo loco nominandus veniebat, divinus *Opii ſuccus*: Uſus hujus medicamenti longè maximos deprædicare nolo. Nobis conducit, qvatenus fermentationem ſiſtit, & ſpirituum furorem componit. Hiſce adnectimus inter vegetabile & minerale medium qvoddam *Coralia*, & qvæ ex iis parantur. Omnes ex illis utiliſſimorum medicaminum parandorum formulas, ut ſunt *Decocta, Noduli, Syrup. Boli. Pulv. Tragemata, Morſul. Trochiſc. ∇æ deſt. ⌒, ⊖. Electuar. Tinct. Eſſent. Elixyr. &c.* præter neceſſitatem apponere nolo. Ne vero ſine fructu ex hiſce pomœriis diſcedamus, aliqvos decerpere placet, qvi & oculos paſcunt & palato arrident.

℞. Pulv. Rad. Gent. Cynorrhod. Scorzon. aa ʒj.
Herb. Alyſſ. betonic. aa ʒß.
Sem. fœnicul. ℈j.
NM. condit. Cort. Citr. condit. aa ʒiij.
Conſerv. fl. Roriſmar. Salv. aa ʒj.
Confect. Alkerm, ℈iij.
Sachar. finiſſ. in ∇ Scorzon. ſolut. ℥vj.
Clarific. & ad juſt. conſiſt. coct. adde ſpec. ingred. & F. l. a. Morſul. conſperg.
Ol. deſt. NM. Orant. D. ad Scatul.
S.

Morſelln wider den wütenden Biß.

℞. Eſſent.

℞. Eſſent. Alyſſ. ℥j.
Camphor. ℈ß.
Tinct. Opij c. Sp. Vin. extr. ℈j
M. D. S.

Vermiſchte Eſſentz 40. tr. auff j. mahl.

℞. Tinct. Coral. ver. ℥ß.
D. S.

Corallen-Tinctur.

℞. Diaſcord. Fracaſt. ℥j.
Conſerv. calamenth. plantag. rut. aa ℥ß.
Rotul. de myrrh. ʒß.
Elix. alliat. ʒj.
Syrup. Coral. Quercet. ℥j.
Conf. Diambr. Diamoſch. aa ʒij.
M. D. S.

Kräfftige Ladwerge/ einer Caſtanien groß auff j. mahl zu nehmen.

§. XIV.

In porrigenda medicamentorum fertilitate, certare qvaſi videntur, vegetabile & *minerale* Regnum, illud verò ſi copia ſuperabundat, hoc certe virtutum concentratione & nitore eminet. Ex terris ſufficiant 🜃 *Lem. Sigillat. Stregenſ. & Bol. Armen.* Hiſce *lapides* propriè ſic dicti, & gemmæ ut *Hyacinth. Rubin. Saphir. Smaragd. Granat.* &c. eorumqve præparata, ut *Magiſter.* cum qvibusdam ex Animali Regno partibus, ſuperius traditis, commixtis, exſurgunt pulv. Bezoard. magnarum virium. Conducunt qvoq; horum *Liqvor. Eſſent. Tinct.* Nobiliora ex metallis itidem ſuas hic oſtendunt vires, *Tinct.* ☉ *Dresdenſ.* vel *Croc.* ☉ *purpur.* ad aliqvot gr. exhibit. Et qvæ in omnibus Maniacæ affectibus ſemper magni æſtimata fuit ☽æ *Tinct.* Haſce præparationes pretioſiſſimas ſi non ſuperant, nec iisdem cedere videntur, diverſa ☿alia medicamina, ut ♃♃ ☿ij. ſulph. ☿ij. Tinct. aliàs ſicca dicta, ope ⊖✱. ſubl. ⊖ ☿ij. ☿ diaphoret. ☉lare, & omnia ex hac minera origi-

originem ducentia Bezoardica mineralia. ♃♃ item nativ. qvæ præter egregiam Alexipharmacam & diaphoreticam virtutem, inſigni irradiativâ & ♎ confortandi vi pollent. Aliqva horum pars operationem abſolvit, v. g. pulv. Bezoard. qvatenus ſunt Alkalia omni acido privata, inde ac primum fermentum ſentiunt, avidiſſimè illud amplectuntur, illudqve figunt. Alia per ſudorem & inſenſibilem transſpirationem à viſceribus interioribus ad peripheriam corporis fermentum reducunt.

§. XV.

Tandem etiam qvædam *Compoſita* ſicco, ut dicitur, pede non ſunt transeunda, ſed omninò etiam attendenda, ut ſunt *Mithridat. Theriac. Elect. de Ovo. Diaſcord. Fracaſt. Tinct. Bezoard. ſ. M. S. ex* ♎ *⊕l. & Tartar. vol. cum theriacal. componenda. Spir. Bezoard. Buſſii* ▽ *Prophyl. Sylv. ſpecif. Cephal. Dn. D. Mich.* & qvi primo loco ponendus Pulv. Alexiter. Dn. D. Præſidis qvi propter ⊕ ⊖ ✱c. & myrrham, particulas ferocientes & ♎ liberantes egregiè coercet.

℞. Pulv. Bezoard. D. Senn. ℈j.
Bezoard. ☉lar. gr. vj.
⊖ ♁ij. gr. ij.
M. D. S.
Köſtliches Pülverl.

℞. ♎ Bezoard. Buſſ. ʒj.
Tinct. Rubin. ʒß.
M. D. S.
Tinctur 20. bis 40. Tr. auff j. mal.

℞. Tinct. ☽. ʒj.
D. S.
Tinctur.

℞. Spec. de gemm. ʒij.
Bezoard. ♂lis. ʒj.
♃♃ nat. ʒij.
Coral. præp. ʒß.
Ol. Cinamomi gt. iij.
Sachar. Canar. ad p. o.
M. D. S.
Triſeneth.

 Omnia

Omnia iſta medicamenta, qvemadmodum variis Indicationibus reſpondent, ita diverſis etiam temporibus ſunt uſurpanda. Alia enim conducunt ſub morbi inſultum. Nonnulla proſunt in Augmento, qvædam in ſtatu, aliqva in Declinatione. In ſtatu qvando eſt morbus, & liqvidorum abominabilis in ægroto notatur pugna, ad mentem Clariſſ. Medicorum & juxta indicationem qvoqve ▽æ *immerſio* omninò videtur conducibilis, qvicqvid etiam nonnulli in contrarium dicant. Præterqvam enim qvòd *Valeſcus de Taranta* in *ſuo Philonio* ſcribit, qvibusdam populis in more eſſe, Hydrophobicos ſuos ad Oceanum mittere, ex illo vulnera lavare ▽ ſalſ. eamqve propinare, & aliqvoties immergere, cum omnium infallibili emolumento. Qvod probabile admodum videtur, ⊖ enim abſtergendi, ☐*m* pellendi, pituitam incidendi, putredini reſiſtendi, & aliis plurimis virtutibus gaudet. Idem etiam ſuccedere cum ▽ ſimpl. obſervationes docent plurimæ, licet unicâ alterave vice adverſus ſubſecutus fuerit effectus, circa modum forſan aberrantibus. Et ipſa deniqve ratio perſvadet; ex metu enim ſuffocationis, alia producitur Idea priorem delentem, incipiunt poſtmodum ▽*m* bibere, qvod pro bono & Reconvaleſcentiæ ſigno habetur, qvemadmodum de Philoſopho ſcimus, illum ſpretâ Ideâ falsâ, & eluctante Ratione, poſt ▽*æ* potum convaluiſſe. De *ſignis & characteribus* unicuiqve judicium relinqvo liberum. Qvi de his informari cupit, adeat *Cornel. Agripp. in Lib. de Philoſoph. occult. Paracelſ. Lib. 3. de Origin. morbor. inviſibil. Portam, Etzl. r. & Chyrandrum* diverſis in locis.

§. XVI.

Ut tutiori incedamus viâ, per anni qvadrantem medicamentorum uſus eſt continuandus, & qvotannis repetenda Curatio, ſiqvidem eventus ut plurimum dubius, nec certo evenit tempore. Neqve uerò continuis Natura colliqveſcenda ſudoribus, ſufficiant ſpecifica Alexipharmacis mixta adhibuiſſe. Interim autem ægrotus victu bono atqve laudabili fruatur, qvalem dant gallinarum pulli, Caro vitulina atqve hœdina, cichoriô, aſparago, atq; Lactuca cocta, aſſattis præferenda. Hiſce enim inſtar Lactucæ adjungendæ ſunt eædem herbæ cum pimpinell. & allio. Sæpius Cancris veſcatur

ſcatur & ptiſanâ, abſtineat verò Columbis & Coturnicibus. Vini generoſ. ſed ▽ hord. temperati, ad hilaritatem, non ad ebrietatem conceditur uſus. Reliqvæ Res Non-naturales à Prudentis Medici dependent regimine, qvi diriget

Omnia ad majorem DEI gloriam proximiq; ſalutem.

CL.

RAUSSENDORFF,

Amice dilectiſſime.

AB eô tempore, qvô Academiam noſtram ſalutaſti, præter modeſtiam atqve Ingenii alacritatem, ardoremqve diſcendi, hoc in Te ſemper laudavi, qvòd qvæ rariora vel audiviſti vel vidiſti, diligentiſſimè ſemper annotaſti. Imitaris in eo Hippocratem, qvi caſus rariores, eorundemqve ſymptomata atqve curas in Libris Epidemiorum diligenter literis conſignavit. Jam, dum ex Diſputatione de Hydrophobiâ, ſatis doctè elaboratâ, video, judicium in Te qvoqve eſſe, notata in uſum convertere, non poſſum non in laudes tuas effuſiùs deſcendere. Auguror fore, ut aliqvando Hippocratis famam conſecuturus

turus ſis, qvem ſeqveris, & cujus ſcripta cum Recentiorum Dogmatibus conferens, magni qvoqve æſtimas. Gratulor propterea Tibi, & Patriæ Tuæ, & precor animitùs, ut ſoſpes ac ſalvus Eidem impoſterum ingenio ſtudiisqve Tuis inſervire valeas! Dabam è Muſeo prid. Nonar. Aprilis, Anno M. DC. LXXXII.

T. CL.

addictiſſimus

Præſes.